

tia vitalis, quando vitaliter operatur movet se, et a principio intrinseco, et per virtutem, quæ non solum sit motio, sed forma inhærens: in hoc enim vitales potentia a non vitalibus differunt, quod in illis movet se agens, et non solum movetur. Quod autem movet se, in eo actu quo se movet, non operatur ut instrumentum, si quidem instrumentum ut pendens et motum a principali causa operatur, unde supponit aliam causam principalem, a qua moveatur, alias non instrumentaliter se habet, sed principaliter, si non ut pendens et motum a principali agente operatur: ergo implicat quod principaliter operetur (id est, ut movens se) et instrumentaliter, id est, ut ab alio principali motum, et non a se.

CDXCVI. Ad argumentum ergo respondetur, quod potentia vitalis attingit actum supernaturalem per qualitatem supernaturalem sibi adjunctam, non quomodocumque, sed adjunctam ut totalis activitas, et non ut activitas supponens aliam activitatem in potentia, et extendens illam, et ita non pendet ille actus a sola qualitate superaddita potentia, sed etiam ab ipsa potentia; non tamen per distinctam activitatem a qualitate superaddita; sed ipsa qualitas superaddita est totalis activitas potentia, et ita dependet a qualitate ut ab activitate et virtute potentia; a potentia autem, ut a radice actuata et perfecta per virtutem, et activitatem illam supernaturalem. Neque requiritur ut potentia operetur tamquam principalis causa, quod operetur per virtutem sibi connaturalem, sed per virtutem connaturalem effectui et actioni, non subiecto elicienti, sed tamen inhærenti illi ut forma et ratio agendi, et virtus operandi; sic enim agit virtute sibi communicata, non ut instrumento, sed ut causæ principali, et

ut agenti tamquam causa principalis.

AN VIRTUS INSTRUMENTALIS ENTITATIVE CORPOREA SIT VEL SPIRITUALIS.

CDXCVII. Quarto arguitur: Motio, qua movetur instrumentum corporeum, debet esse entitative quid corporeum, cum in corpore subjectetur: ergo nequit esse virtus constituens in actu primo instrumentum ad operandum effectum supernaturalem. Consequentia patet, quia quidquid corporeum est, est improporcionatum respectu effectus supernaturalis, et extra latitudinem ejus, nec positive dicens ordinem ad illum; ergo non potest in actu primo constituere ad effectum supernaturalem. Antecedens vero probatur, nam illa motio est subjective in re corporea, ergo debet esse entitative quid corporeum. Quidquid enim recipitur in aliquo, ad modum recipientis se habet; et cum existentia quam habet illa motio in re corporea, sit corporea, ipsa nequit esse entitative supernaturalis; ergo antecedenter ad motionem oportet ponere activitatem, qua instrumentum sit in actu primo.

CDXCVIII. Confirmatur primo, quia illa motio est idem cum actione et motu ipsius instrumenti; non enim alia ratione motum suum peragit instrumentum, et alia effectum causæ principalis; sed hæc actio et motus instrumenti est corporeus: ergo et motio Dei qua movet instrumentum.

CDXCIX. Confirmatur secundo: Usus ille seu motio qua Deus utitur instrumento, vel sumitur active, ut se tenet ex parte creaturæ et instrumenti; ut tenet se ex parte Dei non est ratio agendi ipsi creaturæ, neque est actus ejus primus, cum sit actio

increata: si ut tenet se ex parte creaturæ, non est de genere activi, sed passivi: ergo non constituit in actu primo ipsum instrumentum, sed in via et fieri ad actum primum: ergo non per motionem potest constitui in actu primo instrumentum.

DX. Confirmatur tertio, nam motio illa est actualis applicatio instrumenti ad agendum, ergo per illam non constituitur in actu primo, quia applicatio actum primum supponit, seu rationem et principium agendi; sed ante intelligitur constitui.

DI. Ac denique D. Thomas in quæstione sexta de potentia, articulo iv, determinat ex D. Gregorio, creaturas cooperari quandoque Deo in actionibus miraculosis potestative, quia, ut inquit Gregorius: « Si hominibus data est potestas filios Dei fieri, non est mirum si ex potestate mira facere possint: » ergo non solum passiva potentia obediens ponenda est, sed etiam activa, si quidem creatura non solum ad fieri, sed etiam ad facere ordinatur.

DII. Respondetur ad principale argumentum, quod multi tenent hanc motionem, et usum passivum communicatum instrumentis, esse entitative corporeum, et intentionaliter seu virtualiter spirituales; sicut species, quæ est entitative qualitas, intentionaliter est substantia; et virtus cæli formaliter non est vitalis, quia non procedit a corpore vivo; virtualiter tamen est vitalis, ut procedit ab intelligentia. In qua sententia dicendum est ad consequentiam argumenti, quod entitas corporea entitative est extra latitudinem rei spiritualis et supernaturalis, intentionaliter tamen adæquat illam, sicut accidens substantiam; non enim repugnat intentionalem communicationem rei superioris inveniri in re inferiori.

DIII. Et fundari potest hoc in eo,

quod dicit in hac quæstione, articulo iv, quod in sacramento est virtus quæ proportionatur instrumento; et ita videtur quod entitative sit corporea. Cæterum S. Thomas tractans hoc argumentum in xxvii de veritate, art. iv ad quintum dicit: « Ad quintum dicendum, quod virtus illa neque potest dici corporea, neque incorporea proprie loquendo, corporeum enim et incorporeum sunt differentia entis completi; sed proprie dicitur virtus ad incorporeum; sicut motus magis dicitur ad ens, quam ens. » Hæc D. Thomas; ex cujus verbis elicitur, quod sicut motus in eo quod motus non dicitur entitative corporeus, sed simpliciter est postprædicamentum, sic illa motio, secundum quod motio, non debet dici entitative corporea, sed intentionaliter spiritualis, et virtus seu ordinatio ad rem spiritualem, et communicatio quædam instrumenti, seu tractio ut communicet cum virtute causæ principalis; quæ tractio seu communicatio datur per modum actualis influxus, et per modum transeuntis; et ita sicut actualis influxus, quo ultimo causa actuatur ad agendum a Deo, non est actualitas quæ entitative sit prædicamentalis, sed ad modum existentia est transcendentalis, et in actualitate superat omnem entitatem prædicamentalem; sic illa motio est quædam actualitas transiens per modum motus, quæ non est prædicamentalis, cum non detur per modum potestatis, aut formæ (in quo superat characterem, qui per modum spiritualis potestatis datur) sed per modum actualis motus et influxus; et ideo non debet entitative esse qualitas, sicut character, aut quodvis aliud prædicamentum.

DIV. Cum ergo illo motio sit ipse concursus actualis Dei ad effectum, cum quo entitative et simpliciter identificatur; cum instrumento vero

solum per modum transeuntis, et in fieri; inde est quod illa motio entitative potius dicatur spiritualis, quia est concursus ad rem spiritualem, et secundum quod recipitur in instrumento non extrahitur a ratione concursus, sed solum ponit communicationem ipsius cum causa principali per modum motus, et concursus transeuntis; ideoque tamquam quid incompletum recipitur in instrumento, et ut aliquid transiens ad ulteriorem terminum; et consequenter sicut motus identificatur cum termino, magis quam cum subjecto, sic motus ille identificatur magis cum termino, quam cum instrumento.

DV. Quod si instes: Nam instrumentum illud realiter immutatur ab illa motione, seu ab eo quod passive recipit; ergo illud reale et entitativum quod recipit vel est aliquid entitativum corporeum, vel incorporeum; nec potest esse motus et tendentia ad terminum, si quidem terminus est extra instrumentum, et motio illa est in instrumento: ergo secundum id quod recipitur in instrumento, corporeum quid est, respondetur primo, quod realiter immutatur per modum transeuntis, concedo; per modum permanentis, nego; unde non oportet quod relinquat in eo aliquid corporeum. Item, quando immutatur ab aliquo, quod simpliciter, et per se identificatur, et subjectatur in illo, debet esse corporeum; quando autem identificatur simpliciter cum effectu spirituali, et solum secundum quid, et transeunter cum corpore, elevando illud per modum transeuntis, non requiritur quod sit corporeum, sed solum quod dicat ordinem ad corporeum: sicut anima individuatur ex ordine ad corpus. Vide Nugno in hac quæstione post articulum sextum.

DVI. Respondetur secundo, quod in

instrumento sic elevato, et est considerare effectum, et est considerare activitatem seu actionem; effectus relictus est passiva elevatio, seu esse tractum et subordinatum ad causam principalem; non quidem tractum ad esse, sed ad agere; et hoc est relatio quædam, sicut esse unitum in humanitate fundatum in unitate: sic illud esse tractum, et quasi unitum virtute Dei, est relatio fundata in tractione. Et si placet dicere, quod sit modus relictus (sicut quidam dicunt de immutatione consecuta in humanitate ex unitione) non contradico. Talis autem modus, quantum ad relationem, non est quid corporeum proprie loquendo. Si vero modus sit præter relationem, erit entitative corporeus in corporeis instrumentis, sicut est in carne Christi esse unitam divinitati. At vero activitas instrumenti in effectum nequit esse corporea, etiam entitative: « Et hæc (dicit D. Thomas) non est corporea, aut incorporea, proprie loquendo, sed est virtus ad incorporeum; » seu incorporeus ipse effectus, incomplete contentus in ipso instrumento, per communicationem cum virtute causæ principalis, et per modum fluxus ipsum instrumentum ordinans ad effectum. Et hæc activitas non distinguitur a concursu tendente in effectum, nisi quod identificatur talis concursus, seu activitas cum instrumento per modum transeuntis, et incompleti et intentionaliter, cum effectu vero simpliciter, et in genere entis.

DVII. Quapropter realiter immutatur instrumentum et a passiva communicatione, seu subordinatione ad causam principalem, et a concursu, seu motione per modum incompletum, et motus in se recepti intentionaliter, habentis activitatem causæ principalis; quæ proprie non est corporea, aut incorporea,

sed via et motus ad incorporeum, seu intentionalis tendentia ad illud. Et quando dicitur, quod habet esse corporeum, utpote subjectatum in re corporea, dico, quod non habet existentiam et esse completum, sicut neque est forma completa; et hoc esse incompletum, seu existentia, non repugnat quod proveniat a re corporea, quia id quod existit per illam non est proprie res incorporea, sed tendentia ad incorporeum; nec proprie existit, sed tendit ad existere, et per modum transeuntis habet esse; et ita non repugnat quod per esse imperfectum proveniens a re corporea existat, non tamquam forma aut virtus completa, sed tamquam postprædicamentum.

DVIII. Et ex hoc etiam solvitur, quod principaliter intendit replica, quia licet sacramentum corporeum immutetur a motione, immutatur secundum aliquid altius et alterius ordinis a corpore, et consequenter non per aliquid corporeum, sed per aliquid spirituale transiens. Unde et illa motio non habet esse, aut rationem individualement ex ipso subjecto, cum quo identificatur, quia illa motio non identificatur cum subjecto, sicut motus cum mobili; motus enim est fluxus formæ; et quia forma illa subjectari debet in passo, ideo motus, seu fluxus formæ subjectatur etiam in passo, seu in mobili; motio autem illa intentionalis est communicatio virtutis divinæ ad effectum, non in ipso instrumento, sed extra habendum: unde habet suam peculiarem existentiam perfectam, sicut alia accidentia, dependentem tamen ab esse rei corporeæ, quod propter sui imperfectionem in genere entis inconveniens non est; sicut neque ut ex ordine ad rem corpoream individuatur, sicut anima rationalis ex ordine ad corpus individuatur; sic

illa motio, cum in genere entis sit imperfectissimum, et existentia ejus imperfectissima, dependet ab existentia corporis, et individuatur ex ordine ad illud; et ideo non recipitur in subjecto ad modum recipientis, quia non proprie, complete et perfecte recipitur in subjecto, sed transit, et elevat subjectum ultra se; unde non oportet quod recipiatur ad modum ejus.

DIX. Si enim esset qualitas, aut entitas quædam ad aliquod genus pertinens, curreret quod argumentum dicit, quia vero in genere non est, nihil concludit, quia si est via ad spirituale esse perfectum, ipsa in genere entis est quid imperfectissimum; et ita non repugnat quod in existendo pendeat a re corporea. Constat enim, quod de potentia absoluta potest gratia, seu spiritualis qualitas poni in lapide inhærenter; et hoc quod in perfectis qualitibus fit de potentia absoluta, in imperfectis fit de ordinaria, quia motus spiritualis debet recipi in corporibus, quæ spiritibus obediunt in motu, sicut phantasma movetur ab intellectu agente.

DX. Ad primam confirmationem respondetur, quod illa motio formaliter loquendo non est idem cum actione instrumenti, sed solum materialiter et realiter, quatenus identificatur cum concursu ad effectum, et hic cum actione instrumenti; sicut motus est formaliter postprædicamentum, et materialiter identificatur cum termino aut subjecto; sic formaliter ratione motionis et activitatis non est idem quod motus, seu actio instrumenti, sed aliquid præveniens eam, et activitas a qua procedit talis actio virtuose; entitative autem non distinguitur a concursu prævio cum ipsa causa identificato; et ideo licet actio illa sit corporea, tamen prout virtuosa, est spiritualis; et ita activitas, a

qua procedit, ut virtuosa, spiritualis est reductive et improprie.

DXI. Ad secundam confirmationem respondetur, quod illa motio seu usus passivus, ut se tenet ex parte creaturæ, est passivus in ordine ad causam principalem, a qua derivatur et descendit, non tamen in ordine ad effectum, ad quem dirigitur: unde non est pure passivus, sed elevativus instrumenti ut agat ultra: sicut etiam motio physica prædeterminans causam recipitur in ipsa causa, non tamen ut forma solum inhærens, sed ut ratio ultima, et complementum agendi; et ita licet recipiatur in causa, tamen non solum habet recipi, sed etiam tendere ad effectum, et esse ratio agendi. Neque repugnat quod idem respectu diversorum habeat rationem activi et passivi: et sic instrumentum secundum se seorsum patitur ab illa motione, dum trahitur ad communicationem cum causa principali: ut autem tractum et factum unum cum ipsa, active respicit effectum, sicut ipsa.

DXII. Ad confirmationem respondetur, quod illa motio est actualis applicatio, distingo; pura applicatio, nego; applicatio virtuosa, dans activitatem et virtutem per modum intentionis, et trahendo instrumentum ut communicet cum virtute causæ principalis, concedo; et talis applicatio non supponit, sed dat actum primum; sicut in musico tangente chordas artificiose patet.

DXIII. Ad D. Thomam respondetur, ipsum clare dicere in eodem articulo, quod sic agunt sancti ut instrumentum divinæ virtutis, non quasi aliqua virtute habitualiter in eis manente, vel gratuita vel naturali; sed virtus ad cooperandum Deo in miraculis in sanctis intelligi potest ad modum formarum imperfectarum, quæ intentiones vocantur communiter; non ergo ex poten-

tia obedientiali passiva infert S. Thomas activam per modum habitus, sed per modum motionis et intentionis.

SOLVUNTUR ARGUMENTA PRO TERTIO MODO DICENDI, QUÆ PROBANT ASSISTENTIAM EXTRINSECAM, CONTRA TERTIAM CONCLUSIONEM.

DXIV. Primo arguitur: Instrumentum non agit per virtutem propriam, sed per virtutem ipsius causæ principalis sibi conjunctam et applicatam; ergo non requiritur aliqua virtus recepta in instrumento, sed sola extrinseca subordinatio, et conjunctio cum virtute principali sufficit. Antecedens est certum, quia instrumentum ut instrumentum agit extra propriam virtutem ex vi causæ principalis, et non virtute propria. Consequentia vero probatur, quia quæcumque virtus ponatur in instrumento, non est virtus causæ principalis, sed ab illa distincta: ergo non agit per illam instrumentum effectum causæ principalis: ergo per illam virtutem oportet quod sit conjunctum et subordinatum virtuti causæ principalis: ergo per talem subordinationem constituitur in actu primo, id est, in activitate, qua possit producere effectum causæ principalis.

DXV. Confirmatur: Productio gratiæ, quæ per instrumentum fit, et per causam principalem, est una et eadem, et simplex actio, quæ relata ad Deum est principalis, relata ad creaturam est instrumentalis: ergo non exigit duas virtutes et duo principia, a quibus procedat, sed unicum tantum; hoc autem est virtus principalis agentis; ergo præter illam non requiritur alia intrinsecus recepta in instrumento, sed sufficit extrinseca subordinatio ejus ad virtutem principalis agentis.

DXVI. Et confirmatur secundo, quia si per virtutem aliquam in se receptam instrumentum constituitur in actu primo: ergo productio exiens ab instrumento distinguitur a virtute instrumenti, a qua exit, si quidem illa productio exiens ab instrumento identificatur cum gratia, quæ est effectus productus; motio autem, seu virtus instrumenti manet in instrumento: ergo alia erit productio gratiæ, et alia productio talis virtutis in instrumento, nec per concursum influentem et producentem gratiam producet Deus virtutem in instrumento, sed per distinctam; et sic duplex actio Dei interveniet, quando Deus producit gratiam simul cum instrumento.

DXVII. Respondetur negando consequentiam, nam quod agat instrumentum per virtutem causæ principalis, non tollit realem influxum instrumenti; et quod realiter procedat actio ab instrumento ad effectum: ad hoc autem requiritur, quod in ipso instrumento sit activitas, a qua prodeat illa actio; et cum non sit activitas ipsius causæ principalis, eo modo quo est in causa principali, debet esse virtus ipsa causæ principalis per modum motionis, et per modum transeuntis communicata instrumento. Igitur instrumentum non agit per virtutem propriam, sed per virtutem causæ principalis instrumentaliter sibi communicatam, et per modum transeuntis, concedo; sibi non communicatam, sed extrinsecus solum se habentem, nego. Et ita negatur consequentia, ad cujus probationem dicitur, quod quæcumque virtus ponatur in instrumento, non est virtus causæ principalis, distingo; complete et perfecte, concedo; incomplete et intentionaliter, nego; et per hanc virtutem intentionaliter receptam in instrumento egit ultra propriam virtutem, et agit per vir-

tutem causæ principalis sibi communicatam secundum intrinsecam subordinationem, et non solum extrinsecam.

DXVIII. Ad primam confirmationem, concesso quod una actio sit productio gratiæ, negatur, quod non requirat duas virtutes, quando instrumentaliter producitur, quia una et simplex actio bene potest a duobus principiis subordinatis pendere, sicut patet in actione causæ primæ et secundæ, quæ ab utraque procedit, eo quod sunt causæ diversi ordinis, quibus effectus et productio ejus necessario subordinatur: sicut enim eadem entitas plures habet gradus essentielles, ita non repugnat a pluribus causis diversi ordinis pendere et procedere; et præsertim quando virtus inferioris agentis, seu instrumenti non est virtus distincta a virtute causæ principalis, sed eadem in alio esse; nempe intentionaliter, et per modum transeuntis recepta.

DXIX. Ad secundam confirmationem respondetur, quod illa productio gratiæ procedens ab instrumento, non distinguitur ab ejus virtute instrumentali, ut actus secundus ab actu primo simpliciter et complete, sed ut ab actu primo transeunti, et intentionaliter productionem respiciente. Unde non indiget duplici concursu, alio dante virtutem, alio eliciente actionem, sicut in causis principalibus; sed eodem concursu, quo Deus tendit ad effectum producendum in actu secundo, dat instrumento actum primum, et simul actum secundum ad talem effectum, quia actus primus, quo constituitur instrumentum, est conjunctus cum actu secundo, et inseparabilis ab illo, solumque formaliter distinguuntur. Cujus ratio est, quia instrumentum non est in actu primo per aliquam formam seu virtutem quæ sit in potentia ad agendum, et ita